



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 2. Actum in Galliis de Nationali Concilio pro coercendis Præsulibus
refractariis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII. quo præfatæ Constitutionis Pontificiæ
A. C. 1715. observantia prohibebatur, a Sinarum
 Imperatore obtinuerint, sed etiam il-
 los, qui sese Pontificis mandato sub-
 jecerunt, dire vexarint, quamvis Pon-
 tifex jam die trigesima Martii Joan-
 nem Lusitanæ Regem impense rogaf-
 set, ut suam Bullam, cujus bina ei-
 dem exemplaria submisit, ab ejus Mi-
 nistris præcipue Goanis & Macaonensi-
 bus, non impediri & interposita im-
 pedimenta submoveri, curare vellet.

§. II.

*Actum in Galliis in Nationali Con-
 cilio pro coercendis Præsulibus
 refractariis.*

*Lafiteau
 Hist. de la
 Const. l. 2.
 pag. 65.
 D'Orsanne
 Journal
 pag. 139.*

Postquam Cardinalis Noaillius suam
 Instructionem Pastoralem ad Epi-
 scopos sibi adhærentes transmiserat,
 non modo Pontificis, sed & Franciæ
 Regis indignationem acrius in se con-
 citavit: solus Polignacus Cardinalis
 Noaillii patrocinium in se susceperat,
 qui etiam datis Romam literis Tremol-
 lium rogabat, ut Pontificem eo incli-
 nare vellet, quatenus Noaillii instru-
 ctionem acceptationi præmissam ratam
 haberet: Hac super re Tremollius cum
 Cardinale Fabronio contulit, qui ta-
 men eidem respondit, prius Constitu-
 tionem

tionem pure & simpliciter esse acceptandam, postea vero Noaillio liberum esse, tot quotquot libuerit, explicationes addere; decere enim, ut inferior præprimis Superioris Regulam acceptet. Cum ergo Tremolius Noailli instructionem post Constitutionis acceptationem a Pontifice approbari desperaret, rem urgere destitit: comperta hac Pontificis voluntate, varii varia proponebant media ad reddendam pacem congrua; nil consultius fore censebant nonnulli, quam si Concilium Nationale celebraretur & Noaillii instructio ab omni offendiculo expurgata Romam mitteretur, alii vero censebant, vel in Galliis nominandos esse Deputatos, qui contra opposcentes Episcopos iudicii acta instruerent, vel ipsum Noaillium Romam esse mittendum, ut ipse de sua agendi ratione summo Pontifici rationem redderet: ipsemet quoque Rex obstinato Cardinalis ingenio exacerbatus, eundem Romam transferri decrevit: Rohanius tamen, uti memoravimus, Regem ad mitiora inclinare intentus, eidem exposuit, inde timendos esse in Regno tumultus, Noaillii amicis, & Parlamento contra Regni leges agi vociferantibus: Hac ratione expugnatus Rex a suo quidem destitit proposito, spe fretus, se tandem a Noail-

Sæc. XVIII.
A. C. 1715.

Sæc. XVIII.
A. C. 1715.

lio, quod monitis impetrare non poterat, saltem Regia auctoritate extorsurum: eapropter Rex Amelotum unacum Targnyo Legationis socio Romam ablegare decrevit, eidemque in mandatis dedit, ut cum Papa de canonicis pertinaces Episcopos reducere mediis ageret, hancque in rem Nationale Concilium in Galliis celebrandum proponeret, ea lege, ut Papa suos Legatos omni humanitatum genere excipiendos ipse eo mittere posset, atque quæstiones ibi discutiendas præscribere, illudque Concilium vel convocare, vel ex Pontificis mandato illius convocationem Regi relinquere, in Pontificis arbitrio esset. Præterea eidem Ameloto injunctum, ut a Pontifice novam peteret Constitutionem, qua Papa hanc causam penitus esse finitam declarans, omnes Instructiones Pastorales ab Episcopis refractariis editas aboleret, eosque ad recipiendam & in eorum Diæcesibus promulgandam Constitutionem adstringeret, secus ab ipso hoc Concilio, quod etiam sine Pontificis confirmatione in Galliis perpetuæ legis vim haberet, tanquam contumaces plectendi forent.

§. III.